

## **Dissertatio chirurgica medica inauguralis, de carie ossis / [Samuel Du Pré].**

### **Contributors**

Du Pré, Samuel.  
Coccejus, Johannes, 1603-1669  
Rijksuniversiteit te Leiden

### **Publication/Creation**

Leyden : Widow & heirs of J. Elzevier, 1668.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cpfnrmw5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO CHEIRURGICO MEDICA  
INAUGURALIS,

D E

# C A R I E O S S I S.

Q V A M ,

Præside summo Numine,

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. JOHANNIS COCCEJI, S.S.

Theol. Doct. ejusdemque Facultatis in Illustri  
Acad. Lugd. Bat. Professoris,

N E C N O N


*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Almae  
Facultatis Medicæ decreto,*

Pro gradu Doctoratûs, summisque in Medicinâ Hono-  
ribus & Privilegiis rite consequendis,

*Publico examini subjicit*

S A M U E L du P R E, Mediob. Zeland.

*Ad diem 28. Junii, loco horisque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud Viduam & Hæredes JOANNIS ELSEVIRII,

Academiae Typographi

c i c l o c l x v i i i .

*REVERENDIS VIRIS.*

D. JOHANNI du PRE apud Medioburgenses  
Mercatori justissimo.

D. JOHANNI VEBRUGGE, Cheirurgo pra-  
etico felicissimo, Diaconoque Ecclesiæ Gallicæ,  
quæ Christo Metelliburgi Colligitur piissimo, olim  
in Cheirurgia præceptorि fidelissimo.

Fratribus meis omni honore & amore prosequendis.

U T E T

*CLARISSIMO VIRO,*

D. FRANCISCO de le boë SYLVIO, Med:  
Doct: & Practicæ in alma Academia Lugduno-Ba-  
tava Professori Celeberrimo, Practico summo, A-  
natomico, & Chymico expertissimo, promotori  
& præceptorи de studiis meis optime merito, ideo-  
que omni reverentia & amore in æternum prose-  
quendo.

N E C N O N

*EXPERTISSIMIS VIRIS.*

D. JASPARI BRAEMS, In inclyta Mediobur-  
gensi civitate Cheirurgo Anatomico egregio, Pra-  
etico summo, Diaconoq: Ecclesiæ Belgicæ piissimo.

D. HENRICO SNOEK, Collegii Metellibur-  
gensis Cosmi & damiani Decano, ejusdemque  
Cheirurgo Anatomico egregio, pratico versati-  
fimo.

Fautoribus meis nunquam non honorandis.

*Hanc Disputationem Inauguralem*

In perpetuæ observantiæ συνέσεως  
quam humillime

D. D. D.

S A M U E L du P R E.  
Auth. & Resp.

DISPUTATIO CHEIRURGICO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
CARIE OSSIS.

§. I.



uam tœdiosa, laboriosa, & diurna sit hujus nostri propositi affectus curatio, illis Præcipue, qui subinde ejus curationi manum admo- verunt, notum est; & si alibi illud Poëtæ Præceptum:

Principiis obsta, sero medicina Paratur,

Cum mala per longas invaluere moras, æde Pol hoc in Casu, locum habet.

§ 2. Antequam tamen ad affectum hunc difficilimum, Chroni- cumque describendum pergam, primo duo mihi inter alia affe- standa esse, persuasum habeo: brevitatem scilicet, & perspicuitatem, satius enim multa paucis, quam pauca multis proponere.

§ 3. Primo igitur ejus Etymologia examinanda occurrit: nimi- rum **Caries** est verbum putrefactionem verminosam significans, quia os multis foraminulis erosum & quasi vermiculis perforatum est, Belgis dicitur wormstekig.

§ 4. Etymologia enodata ejus definitionem aggredior, & sic optime definiri judico scil:

Cariés est ossis Corruptio.

§ 5. Differentiam quod attinet, datur **Caries** in ossis superficie hærens, & caries per totum os penetrans &c.

§ 6. Differentia brevitatis ergo enarrata, ad causas ipsas, uti moris est, accedam easque dividam in proximam & remotam.

§ 7. Ab acri quodam Cariei causam proximam pendere, nemo facile, qui tantum mediocriter in praxi versatus, negaturus est; hoc enim ex ossis erosione & asperitate quam manifeste patet, quodnam vero illud acre sit, in præsentiarum perscrutari, in animū duxi.

§ 8. Ut igitur ordine procedam, quantum mente assequi valeo,

existimo cum nobilissimo meo præceptore & promotore Fran-  
cisco de le Boë Sylvio, in æternum venerando, causam Cariei pro-  
ximam Consistere in acrimonia acida non salina, quæ sententia  
multis Medicis & Chirurgis inaudita, luce clarius, si ad omnia, quæ  
ad ejus probationem adferemus, rite attendant, patefiet.

§ 9. Acre acidum hic in Carie peccare ex sequentibus probare  
Conabor & quidem ex Symptomatibus Concomitantibus, ut &  
Juvantibus, nocentibusque.

§ 10. Ex symptomatibus Comitantibus acidum acre hic pecca-  
re patet, quæ vulgo sunt 1. ossis albedo 2. febres & quidem inter-  
mittentes 3. dolores lancinantes 4. caro abundans & vitiosa 5. ma-  
culæ lividæ fætentes carnis abundantis superiori parti aut applica-  
tis medicamentis adhærentes 6. lineæ albæ lardi instar inter car-  
nem luxuriantem reptantes 7. pus acre.

§ 11. Hæc vero prænominata symptomata, ab acido acri sic de-  
ducenda existimo 1. albedinem quod attinet, arbitror eam ab aci-  
do acri in os agente, produci: omnia enim ab acido corrupta (nisi  
impedimentum quoddam sit) albescunt aut pallescunt; ab acido,  
vero multa alio colore prædita albescere, patet ex generatione  
puris, confectioneque lactis sulphuris. Quæ vero à salino acri cor-  
rupta sunt nigricant aut livescunt uti patet in gangræna cauteriis-  
que potentialibus. 2. febres intermittentes à ductu aut ductibus  
pancreatis obstructis, & exinde succo pancreatico acrioti reddito,  
deducendas existimo. 3. dolores lancinantes ab acri acido pendere,  
1. ex applicatis puta aromaticis eos tollentibus, 2. acidorumque  
acrium assumptione, patet 4. caro abundans & vitiosa debetur san-  
guini nimia copia ex erosione ab acri acido vasis emananti. 5. maculas  
lividas originem ducere puto, ab illa sanguinis parte extravasa,  
quæ in carnem, (forsan ob copiam aut constitutionem pravam)  
mutationem subire nequivit, ibique ab acido acri corrupta est 6.  
unde itidem lineas, hardi instar, albas, originem trahere. reor. 7.  
pus acre oriri ab acido, nunc solito acriori existente, plane persua-  
sus sum.

§ 12. Ex juvantibus & nocentibus quam manifeste quoque aci-  
dum acre hic peccare, patet; juvantia enim omnia tam interna  
quam externa, sunt acidum acre debellania, & quidem fortiora  
nti videre est §. 21. & 26.

§ 13. Porro ex sequentibus rationibus quoque acidum acre hic  
pec-

peccare argumentari licet & quidem. 1. quia nunquam, quod sciam, in gangrena 2. s<sup>e</sup>piusque in aneurismate, os corruptum fuit repertum. 3. quia cum salinum acre quid corruptum plerumque existus adest & in carie plerumque nullus.

§ 14. Causa proxima sic exposita, causam remotam explicandam aggredior, eamque dividendo in partes tres, quarum 1. est h<sup>e</sup>reditaria 2. diæta vitiosa 3. contagium.

§ 15. H<sup>e</sup>reditaria cariei causam dari satis abunde quotidiana evincunt exempla.

§ 16. Diætam vitiosam, Cariei causam remotam existere posse, nemo facile qui tantum parum ad mutationes ex 6. rebus non naturalibus contingentes attenderit, inficias ibit. dico igitur 6. res non naturales aptas natas esse, ad acidum acre in corpore producendum, augendum, aut in actum ducendum & quidem 1. quando aët frigidus, nebulosus, humidusque existit, ut tempore hyberno: tum enim plures particulæ acidæ aquosæque per aërem sunt disperse. Quando 2. cibus & potus acidi acres aut pituitosi existunt. 3. quando somnus & vigiliæ ut & 4. motus & quies. nec non 5. excreta & retenta peccant in excessu vel defectu. 6. quando animi pathemata, uti mœror &c. nimis excedunt.

§ 17. Contagium tanquam causam cariei remotam (imo absque coitu venereo) dari, patet ex exemplo nuper à me viso in puerio annum 12. cum agente ab avunculo infecto, cui os cubiti plane erat corruptum, quo post 2 rum annorum curam exempto cubitus mansit immobilis rigidusque.

18. Causis absolutis, ad signa me confero quæ sunt 1. an in initio æger passus fuerit in parte affecta dolores lancinantes vehementes. 2. an continuo adhuc circa partem affectam mediocres patiatur. 3 ulcus si adsit, an dia duraverit & consolidatu sit difficile. Consolidatum vero iterum erumpat. 4 an ulceri adsit caro superflua & vitiosa 5. an inter hanc carnem copiosam, quædam lineæ albæ, lardi instar, se immisceant. 6 an adsit pus acre, & oleosum, si caries in osse medulla prædicto nimis profunde penetrarit. 7. an incarnationis copiosæ, superiori parti, aliquæ maculæ lividæ fastentesque, adhærent. 8 an non, licet applicentur optima incarnationia, prodeat solida incarnatio. 9 an os reperiatur asperum, foraminulis erosum, & subinde spongiosum seu fungosum: quibus præsentibus, cariem adesse concludimus.

§ 19. Hisce igitur præmissis ratione & experientia (quæ nostræ artis firmæ sunt columnæ) munitus curam dogmaticam aggredi, in animo est, eam petendo ex tribus fontibus scilicet Cheirurgia, Pharmacia, & diæta.

§ 20. Cheirurgiam quod attinet, circa ossis corrupti separationem præcipuas agere partes existimo, quia sine eæos corruptum, demi impossibile; omne enim os corruptum separandum est, juxta hanc regulam: omnia præternaturalia, è corpore, si possibile commodumque sit, expellenda sunt.

§ 21. Ad carnis corruptæ pingua humectantiaque, è contra ad ossis corrupti separationem, spirituosa aromatica, saliaque lixiva, conducere, nemo facile, nisi in praxi hospes, diffitebitur. quod vero medicamenta ipsa attinet, pauca huic negotio dicata, & in usu existentia hic annexiter libet, suntque rad: aristolochiæ utriusque, iridis, aloes, mirra, euphorbium (præ aliis palmam præripiens) therebintina utraque vinum album, Spiritus vini, aqua cum calce viva mixta, & postea filtrata. lapis calaminaris, creta combusta, corallia rubra & alba cruda. Testæ ovorum, ostreorum, calcinatæ, oculi cancri, vitelli ovorum ex quibus prænominatis, pulveres, qui ut plurimum usurpantur, aliæque formulæ pro cujusque lubitu parati poterunt.

§ 22. Quamvis à Medicis & Cheirurgis statuatur exsiccatione, tamen, non ratione exsiccationis, sed acidi acri debellationis, excitatæque à medicamentis, inter os corruptum & sanum, incarnationis, os corruptum separandum esse, existimo.

§ 23. Ut igitur in curatione ordine procedam, animadverendum est, an aliquod impedimentum adsit, quod medicamento ad os corruptum viam abneget, uti sæpius fit, tum antequam aliquid tentetur, illud, cauteriis, aut instrumentis, radiceve gentianæ demendum est.

§ 24. Impedimentis sublatis observandum est, an os tantum superficialiter sit corruptum, tum illud scalpro abradendo, donec puncta sanguinea appareant, sanumque ab acido acri rite conservando, subinde tollitur. Si vero os totum sit corruptum, & caries nimis altas egerit radices (uti mihi nuper videre contigit duos caries fere totius ossis tibiæ laborantes, nihilominus post aliquod temporis spatium, à fratre meo Johanne Verbrugge Cheirurgo expertissimo, numine annuente, in pristinam sanitatem restitutos)

tum

tum alia sunt tentanda. 1 quæ vim egregiam acre acidum debellandis, simulque ad intimum corruptionis sinum penetrandi possident: qualia sunt ferra carentia caute & rite usurpata, hoc in casu optima remedia. 2 quæ medicamentis ad ossis corrupti finem penetrandi, ibique vires exerendi, non satis potentibus, viam præbent, qualia sunt trypana. 3 quæ os corruptum brevi exulcere, removere queunt: qualia sunt forcices, serræ, scalpellæ &c. quibus si os cariosum commode demi potest, per me licet insituatur ossis corrupti amputatio, illud interim observandum, ne partes & præsertim sensibiles nimis lœdantur. emplastra vero, extrahentia vulgo dicta, ossis exemptioni, non videntur sufficientia, ideo non immrito ea tanquam cariosi ossis extractioni inutilia, silentio præteribo.

§ 25. Si tandem hisce prænominatis corrupti ossis separacionem obtineamus, tum relictum ulcus mundificandum, incarnandum & cicatrice obducendum est. Tamen interim monitum volo, cogitationes semper in præcedentem cariem esse vertendas quibus monemur. 1 ut nos sedulo à medicamentis, aliquo pacto cariei causæ ansam præbentibus, abstineamus. 2 ut cum mundificantibus &c. aliquid cariei causæ resistens misceamus. v.g.

R. ung. digest. 3ij.

gum. aloes

mirrhæ ana 3ij.

euphorbii 3j.

herb. piperinæ 3j.

mercur. præcipit. alb. 3ß.

m. f. s. a. unguentum, quod applicetur uti decet. medicamenta vero mundificantia, incarnantia & epulotica, ita abunde apud praticos extant ut non videatur necesse, hic locorum proponere, cui vero eorum cognitio libebit, poterit praticos consulere.

§ 26. Cheirurgia absoluta, ad pharmaciam me confero cujus ope qualitas & quantitas acidi acris, possit alterari. Commodèque educi. qualitas acidi acris alteratur per oleosa & pinguis, eam obtundendo leniendoque. per aqua eam diluendo & enervando. per aromaticæ & spirituosa, eam temperando per salia lixiva eam infringendo. ex quibus propositis, medicamentorum formulæ confici possunt. v. g.

R. 2q.

aq. feniculi.

petroselini a. 3*fl*.

theriacal. simpl. 3 *fl*.

ocul. cancri pulv. 3*j*.

laudan. opiat. gra ij.

olei gariophillor. gut. jv.

syrup. card. benedict. 3*j*. m.

assumat æger sæpius cochleare.

§ 27. Qualitate alterata, copiâ si simulacidum redundet è corpore eliminandum est per purgantia, sudorifera vel diuretica, quæ hic inferere non consultum videtur, quia practicorum libri, & imprimis magni Plateri, ne alios nominem, iis scatent. hoc tamen monitum volo. 1 si alvus sit adstricta, purgantia. 2 si aliqua remanserit, acrimonia, sudorifera, 3 si copia humorum aqueorum adsit, diuretica præ aliis esse exhibenda.

§ 27. Antequam tamen medicamentorum partes absolvam, observandum vina medicata, hoc in casu admodum convenientia esse medicamenta, quia per longum temporis spatium, absque nausea, quod ægris magnum est commodum (cum ut plurimum in hoc affectu Chronico, ægri nimis cito abhorreant ab aliis medicamentorum formulis,) usurpari, queunt.

§ 28. Pharmaciæ finem imponendo transimus ad ultimam curationis partem, puta diætam (quâsi ægri continuo peccent, medico ut morbum ad optatam curam deducat, impossibile) quæ dirigenda est, ne amplius noceat, omnibus vero modis profit, ut igitur brevi commodam in genere prescribam diætam: prospicendum est, ut 6 res non naturales vulgo dictæ, ita sint dispositæ, ut cariei causæ aduersentur, ægrumque reficiant.

§ 30. Atqui sic breviter & compendiose, cariei ossis cognitione investigata, curationeque proposita huic disputationi impono.

F I N E M.